

lectorum monstrat beatis Patrem in clara luce et immediate. Deinde isto visibili triumpho voluit eximere apostolis somnium de regno terreno et testificari de regno suo coelesti ac spirituali, cuius incoatio fit in hac vita secundum doctrinam euangelij. Non extincta, nec amissa, nec mutata est glorificatione substantia humanae naturae ex virgine nec proprietates, quae sunt essentiae, exuit, sed corpus factum est ex infirmo, passibili et mortali impassibile, immortale, agile, lucidum, leue et accessit ingens et ineffabilis gloria, conspectus essentiae diuinae, praerogatiua donorum οὐ κατὰ μέτρον superans dona omnium creaturarum regnum et sacerdotium, ita vt haec persona, quae est Deus et homo, exaltata in regno et sacerdotio supra omnes creaturas sit deinceps secundum vtraque naturam gloriosum caput ecclesiae perficiens omnia in omnibus electis. Haec discernunt inter glorificationem Christi et aliorum electorum. Etiam alij beati sunt sursum, fruuntur in aeterna luce laeto conspectu diuinitatis, sed Christus est sursum ad dextram Dei, collocatus est in arcanam lucem et laetitiam inaccessibilem creaturis, vt regnet aequali potentia cum Patre. Ideo non dicitur tantum glorificatus, sed etiam exaltatus. Ac antecellit natura humana Christi in gradu gloriae, lucis, potentiae beatudinis et laetitiae omnibus creaturis, eo ipso, quod haec massa, quam assumptam ex vtero virginis<sup>53</sup> euexit in coelum, verissime est socia victoriae, qua caput serpentis conteritur, quod in arcana luce inaccessibili creaturis conspicit essentiam Dei, quod exaltata est ad regnum et sacerdotium aeternum. Est enim caput ecclesiae secundum vtramque naturam, colligit assidue ecclesiam, protegit, seruat, liberat, saluat eam, depellit diabolos et horum organa, assidue intercedit pro ecclesia, sicut Paulus inquit: „Semper viuens, vt semper interpellat pro eis.“<sup>54</sup> Et Nazianzenus ait: πρεσβεύει ὡς ἄνθρωπος ἔτι καὶ νῦν ὑπὲρ τῆς ἐμῆς σωτηρίας<sup>55</sup> et multa potenter agit, quae capiti conueniant. Item quod vna λατρεία inuocatur et colitur hic dominus noster Iesus Christus Deus et homo, quod adoratur ab angelis etc. Denique quod excellentia donorum superat dona omnium beatorum et quod iudicat mundum. Ac de donis testatur Christus ipse, ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ θεός, τὰ ῥήματα τοῦ [C 3v:] θεοῦ λαλεῖ, οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ θεός τὸ πνεῦμα.<sup>56</sup> De donis beatorum Paulus ait ad Ephesios: Ἐνὶ δὲ ἐκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη ἡ χάρις κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ.<sup>57</sup>

<sup>53</sup> Die Annahme einer unpersönlichen menschlichen „massa“ aus dem Mutterleib Mariens geht zurück auf die nominalistische Vorstellung einer suppositalen Union. Vgl. hierzu: Schwarz, Gott ist Mensch, 293–301; Hilgenfeld, Elemente, 336–338. Zur traditionsgeschichtlichen Abhängigkeit Rudingers von der Aufnahme dieser nominalistischen Denkfigur durch Melanchthon vgl. etwa die Responsio Philippi Melanthonis de controversiis Stancari (1553): „Massa assumpta sustentatur a λόγῳ, et accipit ab eo, ut sit et subsistat.“, in: CR 23, 93 (MWA 6, 266,24–26).

<sup>54</sup> Hebr 7,25.

<sup>55</sup> Gregor von Nazianz, Oratio XXX. Theologica quarta. De Filio 4, in: PG 36, 121 (FC 22, 252,15f.).

<sup>56</sup> Joh 3,34.

<sup>57</sup> Eph 4,7.